

1536

1536 nullum otii, ac laborum præmium percipiant. Horum omnium non tam novitate mirandum, quam funestis, atque exitalibus cladibus descendum ea tempestate spectaculum vesana concitati animi rabie Principes præbuere. Inde referata barbaris hostibus christianæ reipublicæ viscera; illecta, ac vocata ad certum nostrum exitium Turcarum arma; & Respublica Veneta, in qua præter ceteros Principes pacis ingens studium extiterat, eodem cum reliquis turbine rapta, ac disjecta est: & post triginta, atque amplius annos, quibus pace cum Ottomana gente fruebatur, difficile, & periculosum bellum suscepit; cujus initia, & eventus scribenti mihi, ut rei, quæ Patrum nostrorum ætate gesta est, memoriam illustrem, paulo altius nonnulla repetenda sunt, ut belli causæ, ac veluti semina accurate inspiciantur.

Defuncto, ut diximus, absque liberis Francisco Sfortia, Insubrum Duce, cum Veneti de Italiae statu vehementer solliciti essent, a Carolo, qui tunc Neapoli morabatur, petierant, ut ad praesentem Italiae pacem, statumque retinendum Mediolano Ducem daret. Caesar nihil Italiae pace antiquius sibi esse; ea in re Venetae Reipublicae, aliisque Italis Principibus gratificari velle certa adseveratione pollicebatur. Inde de instaurando Bononiensi foedere agere coeperat, quod statim iis conditionibus, quae Bononiae pactae fuerant, renovatum est; in quibus, ut sex peditum millibus ad Ducem, quem Caesar designasset, defendendum, atque interea dum novum Principem eligeret, ad praesentem Insubrum statum conservandum Respublica obstringeretur. Varie ea de re agitatum est; neque Caesar, ut Carolum, tertium Francisci Regis natum, Engolismensem Ducem, Insubrum titulo insigniret, alienus videbatur. Verum rebus Italiae compositis, Herruria ad suas partes pertracta, Venetis sibi foedere adjunctis, cum nihil sibi pertimescendum censeret, id secum ipse immobili animi sententia statuerat, ut praediviti, atque opulenta Insubrum regione, vel ad Italiae principatum retinendum, vel ad reliquas illius provincias subsidiis connectendas, situ valde opportuna, nullis casibus exueretur; veritus, ne Franciscus, ea parta, Genuensium, & Florentinorum turbatis rebus, sibi aditum ad Neapolitanum regnum invadendum patefaceret: itaque valido